NOS CONSVLES

Ciuitatis Craconiæ SIgnificamus tenore presentium quorum inter est Vniuersis et singulis harum notitiam habituris QVia coram nobis in con=
sessu nro Consulari sabbato post Dominicam Jubilate proximo in Anno Domini 1683. comparen personaliter Honorati seniores Pannici=
darum Cracouien in Pannicidiis Ciuilibus Cracouien Pannos vlnatim inciden exhibuerunt lras Pargameneas, sub titulo et pensili sigillo
Serenissimi et potentissimi Principis olim Diuæ memoriæ CAsimiri Regis Poloniæ. et de data CRAcouiæ Feria quinta ipso Die Diuisio=
nis Aplorum Anno Domini 1451. exaratas, quas nos vidimus legi audiuimus manibusque nris contrectauimus atque in scriptura Pargameno et
sigillo saluas illesas non cancellatas omni denique vitio et suspicionis nota carentes comperimus easdemque ad petitiom eorundem Pannicidarum Crac.
in eum qui infra cernitur modum fidelr de verbo ad verbum transcriben et in forma vidimus redigen ac sigillo Ciuitatis Cracouien appenso muniri
curauimus QVarum larum superius specificat tenor sequitur et est talis. CASIMIRVS DEI GRATIA Rex Polo=
niæ magnus Dux Lithuaniæ RVssiæ. etc. SIgnificamus tenore presentium quibus expedit Vniuersis tam presentibus quam futuris Quod volentes
in Ciuitate nra insigni Crac. quam singulari prosequimur gratia et fauore omnes contentiones et discordias quomodolibet consurgentes extinguere
et Ciuitatem predictam eiusque supposita circumscripte quibuscunque litibus et Cauillationibus rectissimo Jure et Ordine stabilire. Diferencias seu cōten=
ciōm quæ hactenus inter Prouidos Viros Consules Crac. ab vna, et Jnstitores eiusdem Ciuitatis de Jnstitoribus seu CAmeris Ditibus parte ab alta pro
eo consurrexerat QVod in Domo Publica Consulatus Crac. muris nouiter erecta quæ in vulgari Theutonico Smetherhaus vocatur nonnullæ res et pan=
ni nobiles con obseruācia veterē vendebantur in augmentū Censuū dictæ Domus quæ Consulibus Cracouien reddi soliti sunt et in predictorū Justorum
vel potius nrūm qui de illorum CAmeris Census aliquos percipimus preiudiciū et grauamen habita, cum Prelatis et Baronibus nris diligenti delibera=
tione et tractatu, tali decisione pronunciatione et Decreto extinguen duximus et extinguimus. Declarantes non per errorem aut improuide, sed
ex certa sciencia, quod homines vtriusque sexus in pdicta Domo smetherhaus ad Consulatum Crac. pertinent Cameras et loca pro venditione rerum
habentes, non possint neque debeant telam de albatam et Pannos preciosos subtiles et Nobiles in tela et in aliis rebus cuiuscunque speciei vel mane=
riei existant, quæ in Jnstitis vendi soliti sunt, vendere seu exponere ad vendendū per se vel alios publice vel occulte sed venditiom predictorū pan=
norū nobiliū ad Jnstitores CAmerarū nostrarū diuitum volumus pertinere, dumtaxat et ipsa illis conseruata esse prout expressius ipse res in Statu=
tis per ipsos Consules Ciuitatis Crac. prefatis Jnstitoribus traditis escriptæ sub eorū signeto continentur Per hoc tamen hominibus CAmeras in Domo
Smeterhaus habentibus quoad venditiom aliarū rerū inferiorū et telæ crudæ iux consuetudine hactenus habitā, nullū volumus aut decernimus



NOS CONSVLES

Civitatis Cracoviae Significamus tenore praesentium quorum interest Universis et singulis harum notitiam habituris Quia coram nobis in consessu nostro Consulari sabbato post Dominicam Jubilate proximo in Anno Domini 1683. comparentes personaliter Honorati seniores Pannicidarum Cracovien in Pannicidiis Civilibus Cracovien Pannos ulnatim inciden exhibuerunt literas Pergameneas, sub titulo et pensili sigillo Serenissimi et potentissimi Principis olim divae memoriae Casimiri Regis Poloniae etc. de data Cracoviae feria quinta ipso die Divisionis Apostolorum Anno Domini 1451. exaratas, quas nos vidimus legi audivimus manibusque nostris contrectavimus atque in scriptura Pergameno et sigillo salvas illesas non cancellatas omni denique vitio et suspicionis nota carentes comperimus easdemque ad petitionem eorundem Pannicidarum Crac. in eum qui infra cernitur modum fideliter de verbo ad verbum transscriben et in formam vidimus rediggen ac sigillo Civitatis Cracovien appenso muniri curavimus Quarum literarum superius specificat tenor sequitur et est talis. CASIMIRUS DEI GRATIA Rex Poloniae magnus Dux Lithuaniae Russiae etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit Universis tam praesentibus quam futuris Quod volentes in Civitate nostra insigni Crac. quam singulari prosequimur gratia et favore omnes contentiones et discordias quomodolibet consurgentes extinguere et Civitatem praedictam eiusque supposita circumscriptis quibuscunque litibus et cavillationibus legittimo iure et Ordine stabilire. Differenciam seu contencionem quae hactenus inter Providos Viros Consules Crac. ab una et Iustitores eiusdem Civitatis de Iustitoribus seu Cameris Civilibus parte ab altera pro eo consurrexerat Quod in Domo Publica Consulatus Crac. muris noviter erecta quae in vulgari Theuthonico Smetherhaus vocatur nonnullae res et panni nobiles contra observanciam veterem vendebantur in augmentum censuum dictae Domus quae Consulibus Cracovien reddi soliti sunt et in praedictorum Iustitorum vel potius nostrum qui de illorum Cameris Census aliquos percipimus praeiudicium et gravamen habita cum Prelatis et Baronibus nostris diligenti deliberatione et tractatu, tali decisione pronunciatione et Decreto extinguendam duximus et extinguimus. Declarantes non per errorem aut improvide, sed ex certa sciencia, quod homines utriusque sexus in praedicta Domo Smetherhaus ad Consulatum Crac. pertinent Cameras et loca pro venditione rerum habentes non possint neque debeant telam de albatam et Pannos preciosos subtiles et Nobiles in tela et in aliis rebus cuiuscunque speciei vel maneriei existant, quae in Iustitis vendi soliti sunt, vendere seu exponere ad vendendum per se vel alios publice vel occulte sed venditionem praedictorum pannorum nobilium ad Iustitores Camerarum nostrarum diutum volumus pertinere, duntaxat et ipsis illis conservata esse prout expressius ipse res in Statutis per ipsos Consules Civitatis Crac. praefatis Iustitoribus traditis escripta sub eorum signeto continentur Per hoc tamen hominibus Cameras in Domo Smeterhaus habentibus quoad venditionem aliarum rerum inferiorum et telae crudae iuxta consuetudinem hactenus habitam, nullum volumus aut decernimus praeiudicium generari Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum Actum et Datum Cracoviae feria quinta ipso die Divisionis Apostolorum ANNO DOMINI Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo, Primo.

Relatio Magnifici Joannis de Koniecpolie Regni Poloniae Cancellarii etc.





Decretū Casimiri Regis inter Consules et
Institores Crac. de nobilibus pannis scissio-
ne venditionis Ao 1451

III

No 616